



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Sermo XXI. De veneratione & commemoratione beatæ Mariæ Virginis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

ficata. O lignum vitæ, portâs Regem gloriæ, pro mundi salute. O crux scutum inexpugnabile, vexillum Regis incomparabile, signum salutis admirabile, in titulo capituli habens scriptum tale: *Iesus Nazarenus Rex Iudaorum*. Salve Iesu Nazarene, laus Ange- Ioan. 19.lorum, vita beatorum, venia peccatorum, salus omnium populorum. O crux salutifera, ab æterno præuisa & electa; tu omnium virtutum floribus adornaris, dignè adoraris: miraculis coruscas, fructibus æternæ salutis exuberans, super omnia aromata redoles; morbos corporis & animæ sanas, iustis cælum aperis, peccatoribus veniam præbes, diabolum fugas, infernum frangis, captiuos liberas, redemptos beatificas. O crux arbor speciosissima, super omnia ligna siluarum benedicta: Tu cedro altior, palma latior, cypresso odoratior, balsamo nobilior, vitæ fecundior, oliua pinguior, ficu dulcior, buxo viridior, quercu fortior, rosa pulchrior, lilijs cædidior. O crux spléndidissima, sole excelsior, stellis clarior, luna lucidior, gemmis micantior, lapidibus preciosior, auro dignior, argento melior, nardo efficacior, cunctis aromatibus & medicinis salubrior. O crux valde amabilis, summè venerabilis, esto mihi peccatori propitia & placabilis, dux bonæ vitæ, lux rectæ viæ: protectrix ab hoste, liberatrix in tremendo iudicio, & pia susceptrix in regno superno. Assiste mihi in agone, conforta in fide, spem veniæ tribue, charitatem cordi infunde, & cum felici fine ex hoc mundo migrare concede: Vt per te me recipiat, qui in te pependit, & me redemit, Iesus Christus Dominus noster: *Qui cum patre, &c.* Laudat mundus amatores suos, milites fortes & barones, qui pro patria & ciuibus suis bellauerunt, & periculis multis ac morti viriliter se exposuerunt: & commune bonum omnibus priuatis & proprijs prætulerunt. Quanto magis Christus laudandus est & amandus, qui pro omnibus nobis crucifixus est & mortuus: vt in æternum viueremus, & cum eo in cælis regnaremus. Amen.

SERMO XXI.

De ueneratione & commemoratione beatae Mariæ Virginis.

X. STABAT *iuxta crucem Iesu, mater eius.* Dilecti fratres, dignū Ioan. 19. est & consequens, vt post memoriam sanctæ crucis, habeatur etiã specialis memoria doloris beatissimæ semper Virginis Dei genitricis Mariæ: quæ astitit fideliter dilecto filio suo Iesu pendentem in cruce, atque pro totius mundi salute morientem. O flebile spectaculum matris & filij crucifixi: matris lachrymantis, & filij condolentis; matris deficientis, & filij alloquētis; matris sub cruce stantis, & filij in cruce pendentis; matris suspirantis, & filij expirantis. O immensi doloris magnitudo nunquam obliuiscenda, scd

sed in cordibus deuotorum fixè tenenda.

2. Scripsit Pilatus titulum in tabula super crucem: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Scribe etiam & tu eundem titulum in corde tuo aureis literis, contra derisus hominū & terrores dæmonum: & liberabit te Iesus Christus Rex cælorum, ab omni pressura iniquorum. Si ita feceris, astatibit & tibi mater Iesu Maria precibus suis, ne desperes in extremis & angustijs tuis. Nulla enim mater tā magnum in natiuitate filij sui gaudiū & solatium habuit, sicut hæc beatissima sensit, quæ filium Dei concipere & parere meruit. Nulla etiam mater tantam tristitiam & intolerabilem dolorem in morte carnalis filij sui habuit & pertulit, sicut hæc amantissima mater in passione præ dilecti filij sui ex cõpassione persensit, quando iuxta crucem eius stetit, ac doloris gladio conuulnerata, amarissimè fletit. Certè tantis visis doloribus in filio, quem singulariter super omnia excessiuè diligebat, mirum valde fuit, quòd vltra in corpore viuere potuit, cuius animam toties doloris gladius pertransiuit, quoties filium torqueri & illudi vidit vel audiuit. O verè singulare martyrium, in desolata matre, & tenera virgine; quæ acrius torquebatur in corde compatiendo filio, quàm martyr aliquis suspensus in equuleo.

Adstādum
cruci cum
Maria.

3. Fratres, si Dominam nostram diligitis, & eius patrociniū in omni tribulatione desideratis, tunc stetis cum ea iuxta crucem Iesu compatiendo ipsi & dilecto filio eius ex intimo corde, vt & ipsa iterum sedulo oret pro peccatis & negligentijs vestris in morte. Qui enim nunc sæpè & deuotè passionem Domini, & lachrymas tristissimæ matris eius, pio mentis affectu recogitat & perpendit: sperare debet de misericordia Dei, & beneuolētia amborum matris & filij, quòd sibi etiam aderunt in necessitatibus suis, & subuenient consolando iacentem in extremis. O quàm lata erit anima illa, quæ Iesum & Mariam dilexit in vita sua; & tristem stationem Mariæ iuxta crucē Iesu, omni die reuoluit in mente! Felix religiosus ille contemnens omnia solatia mundi, qui Dominam nostram sanctam Mariam elegit sibi in matrem consolantem; & totius vitæ suæ custodem protegentem. Nulli dubium, quin pia & misericors mater, consolatrix pauperum, & orphanorum adiutrix, loquetur libenter pro fidei seruo suo de mundo migrante verbum bonum & suauē, placando faciem dilecti filij sui redemptoris nostri precibus suis sanctis, dicens: Fili mi amantissime, miserere animæ famuli tui, amatoris & laudatoris mei, sicut tu bene nosti & vidisti: de cuius ore sancti Angeli sapius mihi deuotę salutationis gaudia nunciarunt, qui etiam ad laudandum nomen sanctum tuum & meum, plures secum fra-

tres

eres inuitare consuevit. Hic est notarius noster scribens sacros libros, & amator sanctæ crucis, libenter orans, & Psalmos cātans; qui audito nomine sancto tuo atque meo reuerenter solebat ad nos inclinare, & geniculando salutare. Transiens per viam & videns à longè crucem, memor passionis tuæ, exhibuit tibi reuerentiam, inclinando se ad crucem. Cernens etiam in Ecclesia, vel in aliquo loco piētam imaginem meam, vel te in sinu meo iacentem aut sedentem, vel quasi mortuum inter brachia mea pendentem, statim compassus est & doluit, fleuit & orauit, genua flexit & adorauit. Hic sine osculo amoris à nobis nō recessit, sed tota die ac nocte dolores sanctorum vulnerum tuorum, & fletus oculorum meorum, in corde suo abscondit, & intimè mihi compati studuit. Memor ergo esto horum, fili mi charissime: & da ei nunc inuenire misericordiam coram te, me cum omnibus Angelis & sanctis tuis pro eo instantia magna supplicante.

4. Fratres, ista modò attēdere debetis, dum adhuc sani estis, & tempus emendandi vos habetis. Procuretis iam vobis tales amicos & aduocatos, qui loquantur pro offensis & debitis vestris, verbum bonum Deo valde gratum: & recipiant vos in æterna tabernacula sua, post huius mundi pericula & laboriosa certamina. Non enim inuenietis fideliores amicos & potentiores in celo & in terra, quàm Iesum regem Angelorum, & Mariam Dominam nostram, reginam celorum. Si amatores Christi estis, tollite crucem Christi, sequimini crucem, stete iuxta crucem, amplectimini crucem, non relinquatis crucem, donec veniatis ad Iesum Christum veram lucem, qui dicit: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris*. Si consolari in omni tribulatione quaritis, accedite ad Mariam matrem Iesu, iuxta crucem stātem, flentem, & dolentem: & omnia grauamina vestra aut citò recedent, aut leuora fient. Eligite hanc benignissimam matrem Iesu præ cunctis parentibus & amicis vestris, in matrē specialem & aduocatam ante mortem; & salutate eam Angelica salutatio-
ne frequenter, quia hanc vocem audit valde libenter. Si malignus hostis vos tentat, & à laude Dei & Mariæ impedit, non curetis, nec laudare & orare cessetis; sed eò ardentius Mariam inuocate, Mariam salutate, Mariam cogitate, Mariam nominate, Mariā honorate, Mariam semper glorificate, Mariæ inclinate, Mariæ vos commendate. Cum Maria in cella manete, cū Maria tacete, cum Maria gaudete, cum Maria dolete, cū Maria laborate, cū Maria vigilate, cum Maria orate, cum Maria ambulate, cum Maria sedete, cum Maria Iesum quærite, cū Maria Iesum in vlnis portate, cum Maria & Iesu in Nazareth habitate, cum Maria in Hierusalem ite, cum Maria iuxta crucē Iesu stete, cum
Maria

Ioan. 8.

In omni
tentatione
iuuocanda
Maria.

Maria Iesum plorate, cum Maria Iesum sepelire. Cum Maria & Iesu resurgite, cum Maria & Iesu caelos ascendite, cum Maria & Iesu viuere & mori desiderate.

5. Fratres, si ista bene cogitatis & exercetis, diabolus fugiet à vobis, & in spiritali vita proficietis. Maria libenter pro vobis orabit, pro sua clementia, & Iesus libèter matrem suam exaudiet, pro sua reuerentia. Parum est omne, quod agimus: sed si per Mariam & Iesum filium eius, humili & contrito corde ad Patrem accedimus, misericordiam consequemur, & gratiam in hoc tēpore, & gloriam in futuro cum ipsis sine fine, Amē. Felix anima deuota, quæ habet Iesum & Mariam familiares amicos, in hac vita, sodales in mensa, comites in via, prouisores in necessitate, consolatores in tribulatione, adiutores in periculis, consultores in dubijs, susceptores in extremis. Beatus religiosus, qui se reputat peregrinum in hoc mundo: & pro summo solatio habet, Iesum & Mariam in cordis hospitio.

Exempla de salutatione Angelica.

6. FRATER quidam libellum in cella perdidit, quem diu sollicitè quærens inuenire nō potuit. Cumque de eius amissione tristaretur, & de inuentione eius iam desperaret, conuertit se ad orationem, inuocans beatam Virginem per Angelicam salutationem. Cum ergo solito more, Ave maria legere inciperet, & eandem sæpe repeteret, & inter hæc de libello dolens cogitaret, subito ei venit ad mentem tale inspiramētum, vbi sedebat iuxta lectulum orans, ante beatæ Mariæ Virginis imaginem. Quære hîc ante te sub stramine lecti. Statim manum suam ad asserem lectuli extendit, volens explorare, an ibi aliquid absconditū iaceret: Et ecce leuato modico stramine, mox libellum manu tetigit, & extraxit. Quo viso miratus est, & præ gaudio libellū osculans, Deo gratias egit: & beata Virgini Angelicas orationes ipsi promissas protinus persoluit. Et dixit: Fortè Domina nostra voluit aliquot Ave Maria habere, & ideo non potuisti tam citò libellum inuenire. Bonum est ergo, Ave Maria sæpè legere, & matrem Iesu deuotè inuocare.

Aliud exemplum.

7. QUIDAM frater scribens in cella libros, diabolo insidiante, fordida cogitatione molestabatur. Quod sentiens & indignè ferens, statim surrexit, vt cellam exiret, & istam vexationem citiùs euaderet. Sed antequam exiret, Deo inspirate, respexit ad beatæ Virginis imaginē, quā apud se habebat, & deuotionis causa salutare solebat. Mox igitur flexit genua, & iunctis manibus coepit legere deuotè, Ave Maria. Et ecce continuo affuit gratia diuina, subueniente illi pia domina nostra Maria, cum nobili prole sua

bene-

benedicta. Nam incepta & intentè perlecta salutatione angelica, cum in fine iam dixisset, Iesus Christus amen, mox in semetipso sensit Dei virtutem, & ab omni noxa quietem. Stupens ergò de celeri exauditione, cognouit in præsentì articulo, magnam angelicæ salutationis utilitatè, còtra quamlibet hostis impugnationem. Et gratias agens Deo, ait intra se: Nunc scio verè, quia potens est domina nostra sancta Maria, iuuare & eripere omnes clamantes ad se. Nocte verò sequenti, talis ei visio apparuit dormienti: Videbatur enim sibi, quod per hortum pomarij solus transiret. Cui occurrens Satanas, ipsum terrere & fugare cœpit. At ille perterritus à facie eius, cœpit præcurrere, vt euaderet manus eius. Et cum non auderet extra septa monasterij transire, ex repentino cursu subitò cecidit in fossam aquæ, in limum profundi. Timens ergo submergi, cum nullum adesse videret, qui eum iuuaret & extraheret, cœpit intra se angelicam salutationem legere, & auxilium petere. Mox igitur, cum dixisset, Iesus Christus amen, raptus est de profundo lacu aquæ, & super aridam terram restitutus. Tunc valdè exhilaratus, & quasi de laqueo mortis ereptus, expergefactus est, & ad se plenè reuersus. Erigens ergo se in lectulo, præ gaudio cœpit flere, & pro gratiarum actione, flexis genibus legit attentè sæpissimè, Ave Maria. Addidit etiã hæc verba: Ave Maria, dulcis Domina nostra, gratia plena, Dominus tecum, misericordia porta.

Exemplum aliud.

8. **D**Vo fratres regulares ibant pariter ad partes superiores, pro pia causa visitandi parentes, & amicos in Christo fideles. Contigit ergo paululum eos à recto itinere deuitare. Dixit itaq; senior iuniori: Frater, videtur mihi, quòd erramus, reuertamur iterum ad publicam viam. Reuertentes ergo ad priorem locum, cœpit senior orare & beatam Virginem inuocare, vt mitteret eis recti itineris ducem, & bonæ societatis viatorem. Cumque iam aliqua suffragia cum hymnis & collectis de beata Virgine legisset: Ecce occurrit eis vir quidam in specie peregrini, baculum & faccellum in dorso pro viatico secum ferens. Qui salutatis fratribus, dixit se velle tendere sursum pro indulgentiis ad sanctum Quirinum, & libenter cum eis comitari. Sequebantur ergo velociter recti itineris ducem, per longæ viæ spatium, donec venissent ad optatum hospitij sui locum. Tunc senior cognoscens diuinum eis affuisse auxilium, ampliores gratias Deo & beatæ Virgini studuit referre, pro ducatu bonæ viæ; memor verbi sancti Petri Apostoli dicentis: *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* 1. Pet. 5.

G

Aliud

Aliud Exemplum.

9. **F**rater quidam in tribulatione positus, habuit usum invocandi Iesum, & piissimam matrem eius Mariam. Et quando tentabatur vitiosa aliqua passione vel tristitia, statim confugit ad passionem Domini per orationem angelicam, invocando Iesum & Mariam in adiutorium contra tentationem. Quadam igitur nocte vidit in somnis diabolum sibi occurrere, & velle nocere. Et cum timeret laedi, nec posset effugere, coepit submissè Aue Maria legere. Sed cum ille audisset Iesum nominari, statim auertit se ab eo, & coepit fugere, & citò currere. Quo viso, clamavit frater adhuc altiùs post eum, Iesus, Iesus. Et quanto fortius clamavit, tantò celerius præcurrebat Satanas, perterritus voce dulcis nominis Iesu & Mariæ matris eius. Et subitò cadens, non comparuit. Hoc videns frater, præ lætitia cordis euigilabat, & ait: Si cum vno Aue Maria possum diabolum fugare, quid habeo nunc timere?

Exemplum aliud.

10. **E**rat apud nos laicus quidam, Egbertus nomine, senex & provec̃ta ætatis, deuotus Deo & beatæ Virgini, ac feruenter sanctæ paupertatis amator. Hic secundum vires suas fortiter laborauit, terram fodiendo & transuectando: atque in laboribus defudans, Dominicæ passionis labores recogitabat; & fatigatus ex labore, pro releuamine corporis orationi insistebat. Hunc Satanas diu tentauit, vt de monasterio recederet, & per mundum mendicatum iret: putans, quòd hoc Deo magis placeret, quia hic multa commoda haberet, quibus indignus esset. Sed ab hac opinione, consilio Prioris & fratrum admonitionibus retractus est, ne se periculo daret, & per mundum vagando finaliter erraret. Sæpe enim callidus tentator, sub specie melioris boni simplices decipit, & à bono incepto, per mutationem loci, ad inconstantiam animi trahit. Cumque adhuc minimè contentus esset ad manendum, nec tamen auderet inconsultè sine licentia recedere, inter hæc tentamenta confugit ad beatam Virginem, per deuota orationum suarum suffragia. Quadam igitur die fatigatus ex labore, reclinauit se ad orandum iuxta vehiculum suum, sicut sæpius faciebat, invocando beatam Virginem, & nominando Iesum Christum. Cum ergo solus iaceret prostratus in terra, parum soporatus est dulci sopore in Domino. Viditque valdè venerabilem Dominam sibi assistentem, & pia admonitione hæc verba dicentem: Maneatis in loco isto, & quod Prior vobis consulit & dicit, hoc faciatis. His dictis, honorabilis Domina statim disparuit: & ille ad se reuersus & experrectus, vberimè flenit. Deinde ad Priorem festinanter accessit, & ea quæ viderat & audierat

dierat per ordinem cum gemitu & fletu ei referebat. Ad quem Prior, tanquam Pastor bonus, quem tristem consolando respondit: Bene placet hoc mihi, chare Egberte. Maneatis nobiscum, sicut Domina nostra vobis modò ostendit & dixit: Nec diu postea superuixit, sed pro breui labore æterna præmia accepturus, cum multa patientia in obedientia perseverans, bono fine, in octaua sancti Ioannis Apostoli & Euangelistæ, infra matutinas obdormiuit in Domino, anno Domini millesimo quadringentesimo vicesimo.

SERMO XXII.

De laude dulcissimi nominis Iesu, & dulcissima matris eius Mariæ.

1. **S**piritus meus, super mel dulcis, & hæreditas mea, super mel & fauam. *Eccli. 24.* Dignè quidem fratres & pulchrè satis; verba æternæ sapientiæ ad matrem referuntur misericordiæ, de qua ortus est Sol iustitiæ Christus. Dulcis Iesus, dulcis Mariæ, & non est in eis amaritudo aliqua: sed summa pietas, mansuetudo, charitas, & misericordia sine mensura. Beatus, qui adhæret vestigiis humilis Iesu, & ad matrem eius deuotè se conuertit, vt inueniat gratiam in còspectu eorum. Recollige ergo fidelissime serue Dei in vnum fasciculum facta Iesu, quæ egit & dixit; & proderunt tibi, plus quàm omnes thesauri mundi. Pertracta etiã apud te sedula mente, sanctissimæ matris Iesu actus & verba, & erunt animæ tuæ solatiofa, atque super omnia aromata dulciora. Dele ætatur corpus odoribus bonis, & reparatur ciborum fomentis, anima autem virtutibus veris & meditationibus sanctis nutritur, confortatur, & letatur. Quanto verò perfectioribus quis instat studiis, & nobilioribus se subdit magistris; tanto clariùs edocetur, & ad culmen beatitudinis citiùs perueniet. Summi magistri virtutis, & totius sanctitatis luminaria, sunt Iesus & Mariæ, quos, pro modulo tuæ paruitatis, tibi anteponeere debes, & tanquam præsentés intueri. His iunge te, his familiarem & deuotum te exhibe. Vbi-
cunque audieris aliquid de Iesu & Mariæ recitari, ibi autem diligenter accommoda, ibi moram diutiùs trahere, & quid ædificatio-
nis ac latentis insit dulcedinis pensa.

2. Quotiescunque etiam ad opus diuinum accesseris peragendum: vel quando ad laborem communem, siue ad priuatum actum fueris euocatus, primùm ad cælum oculos leua, & Iesum atque Mariam specialiter inuoca, & ipsorum perpetuæ custodiæ suppliciter te commenda. Offer te quoque beneplacito eorum in cunctis agendis: vt fiat actio tua Deo grata, proximo utilis & tibi salutaris. Sit semper intentio tua pura, ferueat voluntas bona, sit labor discretus, sermo circumspectus, executio perseue-